Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1133
Quelle:
Copyright:

xie te quidem diuque sustinui &c. ut edit. *Lugd.* p. 298. Expendi Prooemium et sequentia observo. Malo cum Codice *novitate perculsus* quam *percussus*, et mox: *multum scilicet referre ratus, nec* (edita intrudunt *puto*) *inerti negligentia praetereundum.* Dein: *unum mihi maxime subiit admirandum*, ubi edita *unde mihi* &c. Istud tamen etiam in Codice instar glossae adponitur. Item: *quasi non deterior fiat inscientiae causa, dum tegitur*, ubi edita τὸ *non* subprimunt. Praeterea tam Codex quam Editio legunt: *postulo remitti meis exemplaribus*, ubi manifeste *cum* desideratur. Erravit demum Glossator noster, dum *Episcopum scriptorem Epistolae*, de qua in Conventu disceptabatur, *Flavianum CPolit.* putavit, qui obierat a. 449. Agitur de longe recentiori Epistola Orientalium ad *Symmachum* Papam, eaque, quam ad an. 512. recitat Card. *Baronius* T. VI. *Annal. Eccl.* Atque haec sufficiant ad Codicem hunc ulteriori Studiosorum examini commendandum. Peccat ille cum omnibus Editionibus etiam in ultimo verbo *perscribit*, pro quo certe reponendum *praescribit*.

Jam vero quid faciemus *tribus* Fragmentis, quae superiori Libello continuo, atque eodem calamo adscripta sunt? Primo exponuntur tria Vocabula graeca corrupta, quod sic lego: Ανδης *quippe dicitur, hoc est, ut paulo superius expositum, absque deliciis. uel absque uoluptatibus. uel insuauitas. Item* Λυπη *uocatur, cuius interpretatio est tristicia. uel meror. uel luctus.* Αχος *quoque solet appellari. hoc est desperationis grauitas.* Quae quo referam, nescio, nisi de aeterna damnatione, aut inferno intelligenda sint. Alterum sic habet: *Ineffabilem et incomprehensibilem diuinę bonitatis inaccessibilemque claritatem omnibus intellectibus siue humanis siue angelicis incognitam. supereessentialis est enim et supernaturalis. eo nomine significatam crediderim. Quę dum per se ipsam cogitatur. neque est. neque erat. neque erit. in nullo enim intelligitur existentium. quia superat omnia. Dum uero per condescensionem quandam ineffabilem in eaque sunt mentis obtutibus inspicitur. ipsa sola inuenitur in omnibus esse. et est. et erat. et erit. Dum incomprehensibilis intelligitur per excellentiam. nichilum non immerito uocitatur. At uero in suis theophaniis incipiens apparere ueluti ex nichilo in aliquid dicitur procedere. et quę proprie super omnem essentiam existimatur. proprie quoque in omni essentia cognoscitur. Ideoque omnis uisibilis et inuisibilis creatura theophania id est diuina apparitio potest appellari.* Nec *Dionysius* sic dictus, nec alius Graecorum Patrum significatum τῆς Θεοφανιας, quod sciam, huc extendit; ob praedicatum tamen bis de Deo *Nichilum* subolet mihi *Gilbertus Porretanus* ex *Ottonis Frising. de Gest. Friderici* I. L. I. c. 52. Tertium Fragmentum est pia mentis ad Deum elevatio, quasi cujusdam Operis ἀνακεφαλαιωσις: *O nostra salus atque redemptio, qui dedisti*